DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, *DE* SINGULTU PRÆCIPUE PUERPERARUM,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

horis locoque consuetis

ANNO MDCCXXXVIII.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjiciet

AUCTOR

HENRICUS AUGUSTUS HERTZOG,

AURIC. FRISIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO
AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXPERIENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO SIGISMUNDO RICHTER,
SERENISSIMI PRINCIPIS
ANHALTINO-COTHONIENSIS
CONSILIARIO AULICO SPECTATISSIMO
MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO,
DEXTERRIMO,
RELIQUA.

AVUNCULO AC PATRONO
OMNI HONORIS ET AMORIS CULTU PROSEQUENDO,

D. D. D.

AUCTOR.

VIR AMPLISSIME CONSULTISSIME
ATQUE EXPERIENTISSIME

AVUNCULE ET PATRONE OMNI HONORIS ET AMORIS CULTU PROSEQUENDE!

OFfero TIBI, ea qua par eſt obſervantia & devincto animo, paucas haſce plagulas, ſpeciminis academici loco, quod exhibendum erat, conſcriptas, & primitias ſtudiorum meorum continentes. Et enim quando præteritorum reminiſcor temporum, nunquam non intimo animi affectu & grata recordatione contemplor, quanta benevolentia, quamque paterno plane amore, poſt triſtiſſima fata, quæ parentes meos dilectiſſimos, ex hac evanida vita abſtulerunt, ſemper me amplexus

atque

atque profequutus fis. Non enim folum quam primum, quinque abhinc annis, ad hanc Academiam appuleram, confilio & auxilio mihi adfuifti, quo curriculum ftudiorum meorum rite inftituerem, fed etiam poft ea omnem Tuam eo direxifti curam, ut idem absque vel ullo impedimento abfolvere & ad finem usque feliciter perducere poffem. Poftquam igitur per Dei gratiam ad exoptatum hunc ftudiorum terminum perveneram, ipfe mihi autor fuaforque fuifti, ut a gratiofa facultate Medica, fummos in arte falubri honores atque privilegia peterem, quo ea quæ hactenus didiceram ad ipfam praxin reducere mihi liceret. Quæ cum omnia TIBI unice debeam, omnino conveniebat, TIBI ftudiorum meorum rationem reddere & hanc Differtationem TUO AMPLISSIMO NOMINI infcribere atque confecrare. Accipe itaque VIR AMPLISSIME hanc reverentiæ, obfervantiæ & obftricti animi tefferam, ea qua foles ferena fronte, & quamvis Tua in me collata beneficia nunquam compenfare queam, ad minimum hoc gratitudinis qualecunque fignum benevole fufcipe. Ipfe Deus Optimus Maximus ad fit TIBI fua clementia, reftituat TIBI fanitatem hactenus infirmam & vacillantem, augeat TIBI annos atque vires cum perenni bona valetudine ftipatas, an-

nuat consiliis Tuis, quæ pro salute multorum ægrorum capis, arceat a Te omnia pericula, & quacunque benedictione & prosperitate TE accumulet. Vale & imposterum Tuo Patrocinio fave

VIR AMPLISSIME CONSULTISSIME


ATQUE EXPERIENTISSIME

AVUNCULE ET PATRONE OMNI HONORIS ET AMORIS CULTU PROSEQUENDE

TUI NOMINIS

Observantissimo cultori

HENR. AUG. HERTZOG.



PRAEFATIO.



Uod facundissimus CICERO in *Quæst. Academ. 4.* præclare disseruit: *esse animorum ingeniorumque nostrorum naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturæ: & indagationem ipsam rerum magnarum occultarumque habere oblectationem;* id certe omnes experiuntur, qui arti Medicæ operam navantes, naturæ & corporis humani afflictiones, earumque abditas causas accuratius rimari atque scrutari student. Quemadmodum enim in toto terrarum orbe, nihil vita præstantius nihilque sanitate jucundius: tanto magis naturali quasi instinctu adigimur, ad ea indaganda, quæ vitæ & sanitati nostræ damnum & detrimentum afferunt. Quare & plebeji ac infimæ sortis homines, hoc vel alio morbo laborantes, non raro Medicum lacessere solent & suis agitare quæstiunculis: Herr Doctor woher komt mir doch das etc. desiderantes, ut vel minutissima ipsis explicentur, quarum ratio tamen non semper in promptu, sed diligenti & crebra prius observa-

serva-

ſervatione, & maturiore penſiculatione elicienda eſt. Ne mirare itaque benevole Lector, qui factum ſit, ut hanc de Singultu Puerperarum Diſſertationem conſcriberem, nec puta quaſi me fugiat, quod de Singultu paſſim in libris Medicis & alibi jamjam ſcripta quædam proſtent; ſed firmiter tibi velim perſuadeas, me non ſine ratione ſufficienti hunc laborem ſat arduum ſuſcepiſſe. Ut enim non dicam, quantum in rebus occultis & abſtruſis, quæ ad naturam humanam ſpectant, indagandis, ſentiam oblectamenti & voluptatis, primo haud ſilentio præterire poſſum, quod nunquam de hac ſpecie ſingultus ullibi ſeorſim quidquam legerim; deinde non præter videndus erat ille, quo rarior eſt, caſus notabilis, quo ſingultum in puerpera quadam ipſe obſervavi, quemque infra plurimis enarrabo; tandem non debebam obliviſci, quod ipſe ſæpius ſingultu correptus fuerim. Cum itaque hæc jam ante aliquod tempus me impulerant, ut horis ſubſecivis altiori ſcrutinio hanc rem committerem, & ex principiis Phyſiologicis, Anatomicis & Phyſicis, ratiocinatione hujus affectus cauſas eruere conarer, videbam meam ſententiam auctoritate ſummorum virorum, quorum ſcriptis in hac commentatione uſus ſum, confirmari. Hinc operæ pretium putabam haſce meditationes meas, inſtar ſpeciminis profectuum, quod ex legum præſcripto dandum eſt, publici juris facere & placido eruditorum examini ſubmittere, quo alii judicare poſſint, quid in hac re præſtiterim. Te igitur benevole Lector rogo, ut hæc qualiacunque ſint, æquo animo excipere, & ſi quæ minus recte, ad mentem tuam, poſita ſunt, imbecillitati virium mearum condonare velis.

§. I.

Q. D. B. V.

§. I.

QUum in præsentiarum singultum, in specie puerperarum, pro argumento & fundamento dissertationis meæ elegerim, haud incongruum fore arbitror, si statim in limine tractationis declarem, quid per hanc vocem intelligere velim. Vulgo quidem denotat singultus, sonorosam illam exspirationem, cum compressione abdominis solito majori stipatam, subsequente deinceps naturali inspiratione; sed revera hic affectus est spasmodico-convulsiva concussio Diaphragmatis & Ventriculi cum Mesenterio & reliquis partibus connexis, sub qua aër cum sonitu per Oesophagum expellitur. Et ita formaliter singultus consistit in motu, generice vero in spasmo, qui est auctior gradus motus constrictorii & relaxatorii i. e. tonici fibrarum.

§. II.

Partes, in quas hic affectus suas truculentias præ reliquis exserit, sunt;

α) DIAPHRAGMA s. septum transversum, quod, ut necessarium respirationis organon, pro unica hujus mali sede agnosco, præeunte *Illustr.* HOFFMANNO *in Med. Systemat. Tom. IV. Part. III. Sect. II. cap. IV. §. 9. pag. 423.* & PRÆSIDE *in Pathol. sua Sect. VII. cap. IV. §. 4. p. 297.* etsi alias cum veterum Medicorum multi, tum hodiernorum nonnulli, huic sententiæ non subscribant. Ad minimum fieri non potest, cum Diaphragma respirationi in-

 ser-

ſerviat, nec ſingultus unquam, niſi ſub reſpiratione contingat, quin hic affectus absque hujus muſculi ope adminiſtrari poſſit. Siſtit hoc Diaphragma muſculum orbicularem amplum, robuſtum, abdomen transverſim a thorace dividentem, cum centro nervoſo, quod Anatomici ſpeculum appellarunt, inſtructum. Connectitur antrorſum ſterno, ad latera coſtis ſpuriis & muſculis intercoſtalibus, retrorſum dorſo & vertebris lumborum; porro cum ſuperficie convexa thoracem verſus, pericardio, mediaſtino & pleura; denique cum ſuperficie concava peritonæo, in hypochondrio dextro Hepati per ligamentum ſuſpenſorium latum, & ventriculo in hypochondrio ſiniſtro per nervos & Oeſophagum, qui per muſculoſam partem hujus ſepti deſcendit, & ſimulac abdomen intravit, ſiniſtrum ventriculi orificium, videlicet ſtomachum græcis καρδίαν, format. Vaſa habet arterioſa ab arteria cœliaca, ſubclavia & intercoſtalibus provenientia; venoſa a vena cava, azygos & ſubclavia; nervoſa quorum duo a vertebralibus colli, duo vero a pare vago & intercoſtali ramo oriuntur, quæ omnia cum paucis lymphaticis hinc inde interſperſis apud Anatomicos vaſa phrenica audiunt. Situs eſt obliquus abdomen inter & thoracem, ſic ut dextra pars elatior, ſiniſtra ſit declivior.

§. III.

β) VENTRICULUS, qui eſt ſaccus membranaceus in ſiniſtro hypochondrio, mox ſub Diaphragmate

mate inter hepar & lienem oblique situs, gulæ & septo transverso per Oesophagum annexus, ex tribus vel quatuor membranis conflatus. Primam harum membranarum a peritonæo nanciscitur & communis illa est tunica, qua omnia intestina gaudent, ex fibris transversalibus composita; altera est musculosa in qua fibrarum ordo varius observatur; tertia nervosa, vasis sanguiferis & parvis glandulis, quibus liquorem gastricum secerni perhibent, referta; quartam denique addunt alii villosam admodum tenuem; imo alii adstruunt quintam cellulosam dictam, quam intra primam & secundam in ordine collocant: sed hanc litem aliis excutiendam relinquo. Duo habet orificia, sinistrum cardian, cui nervi a pari vago descendentes, sese insinuant, & in toto ambitu ventriculi dispergunt: dextrum pylorum. Arterias accipit a cœliaca, intra tendines Diaphragmatis divisa; venas a ramo splenico Venæ Portæ, quas inter, eæ, quæ ad ventriculum & lienem simul decurrunt, sigillatim vasa brevia nuncupantur; lymphaticæ pauciores, ut hujus census omnes reliquæ, ad receptaculum chyli abeunt.

§. IV.

γ) PERITONÆUM, quod Diaphragmati & musculis abdominis transversis proxime adhæret, totam hanc cavitatem interius circumcingit. Constat ex duplici membrana tenui, lævi & lubrica, quæ ventriculum, intestina, mesenterium, omentum, hepar, pancreas & lienem quasi in sacco continet.

tinet. Processus dimittit varios, in viris præsertim ad scrotum & testiculos, in fœminis ad uterum, cujus ligamenta lata efficit, rotunda vero involvit. Arteriis & venis instruitur ab epigastricis, lumbaribus & diaphragmaticis; nervis a diaphragmaticis, lumbaribus & ossis sacri. Inter ipsam substantiam vasa umbilicalia sita sunt.

§. V.

δ) MESENTERIUM, quod est duplicata membrana, quæ multa pinguedine scatet & intestina ipsi adhærentia in situ naturali continet, quibus insuper secundam largitur tunicam cellulosam RUYSCHII dictam, excepto jejuno & ileo, quæ & extimam ab illo suscipiunt. Incipit a tribus superioribus vertebris lumborum & per totum intestinorum tractum continuat, hoc tamen discrimine, quod, quamdiu circa tenuia versatur, Mesaræum, circa crassa vero Mesocolon nuncupetur. Vasa sanguifera cum intestinis habet communia; nervos accipit a pari vago & intercostali; lacteæ & lymphaticæ venæ, nec minus glandulæ copiosæ, per totam sui substantiam dispersæ reperiuntur, quæ tamen secundum numerum, magnitudinem & situm valde variant.

§. VI.

Sufficiant hæc dixisse de nexu partium, quæ sub singultu commoventur: quamvis enim plures huc referri possent, hæ tamen sunt solenniores, sine quibus mutua conspiratio, qua septi irregularis motus, abdomini communicatur, prorsus intelligi nequit.

Singu-

Singula abdominis contenta ſpeciatim deſcribere non eſt hujus loci, ututinfra pauca adhuc, in quantum inſtituti ratio id requirit, addenda erunt. Qui interim hunc nexum & egregiam harmoniam partium noſtri corporis, ulterius inquirere ſatagit, ille adeat celeberrimos Anatomicos, BARTHOLINUM, MORGAGNIUM, WINSLOVIUM, HEISTERUM alioſque, imo ipſa cadavera inſpiciat. Sane hæc intimior connexio, eſt fundamentum ſenſibilitatis naturæ, qua fieri ſolet, ut ſi in aliquo viſcere ſtaſis ſanguinis aut inflammatio, aut actualis læſio adeſt, tunc reliquæ partes corporis omnes per conſenſum compatiantur. Quæ res uti per ſe intellectu jucunda, ita Medico apprime ſcitu neceſſaria eſt.

§. VII.

Sed ad rhombum! Duplicis generis ſingultus eſſe ſolet: alter audit idiopathicus & nullum primarium morbum reſpicit; alter ſymptomaticus qui per conſenſum nervorum in morbis acutis contingit. Priorem, ſi diutius inſiſtit, chronicum: poſteriorem, quia ominoſum morborum agit comitem, acutum vocarunt Medici. Utramque hanc ſpeciem antea, paucis pertractabo, quam ad ſingultum puerperarum ſeorſim expendendum, me convertam.

§. VIII.

Supra (§. 1.) dixi ſingultum conſiſtere in motu ſpaſtico-convulſivo velociter tranſeunte, quod quidem adſertum per ſe verum eſt, teſte experientia; interim convenit ut paulo penitius inquiram, qua ratione hi motus contingant, aut quid ſibi velint. Itaque

que fieri solet quod, si in ipso Diaphragmate, vel impeditior sanguinis fluxus, vel actualis stasis, vel etiam inflammatio adest, copiosior adfluxus sanguinis vasa illius vehementer distendat; hæc distensio porro efficit ut, dum sub inspiratione septum versus abdomen deprimitur, illico fibræ musculares a centro ad peripheriam usque, valde abbrevientur & nervi comprimantur, sub qua abbreviatione convexa in planiorem magis convertitur figuram & stomachus constringitur: quando demum paulisper remittit hæc tensio & septum sub exspiratione in naturalem situm redit, aër in œsophago interceptus & inclusus simul & semel cum nisu exploditur, omnesque partes in abdomine contentæ, ob mutuum, quo connexæ sunt, vinculum, una magna vi sursum & antrorsum concutiuntur. Similis ferme ratio est singultus ex ventriculo coorti, quando enim hic multis cibis præsertim flatulentis justo celerius devoratis, oneratur & oppletur, quid mirum, si ob insolitam fibrarum nervearum, (§. 3.) stomachum præprimis ambientium, tensionem & tractionem, septum simul adficiatur & spastica commotio in ambobus proritetur. Et sic etiam se res habet in reliquis visceribus abdominis, stasi aut inflammatione aut alia quavis molestia præsente, dum enim in ejusmodi pertinaci obstructione, sanguis in copia parti adfectæ instat & urget, fieri aliter non potest, quin exinde major undiquaque extensio & acerbior constrictio resultet, quæ si deinde per nervos Diaphragmati communicatur, talem singultum producere valet. Accedit quod & ipsa textura Dia-

phrag-

phragmatis ob copiosos nervos & tendines, a natura sub quacunque vel leviori causa ad spasmos & semiconvulsivos motus admodum prona & habilis existat. Insuper haud silentio prætermittenda est illa observatio, qua constat, quod natura non raro ejusmodi concussorios motus, ad aliquid sibi molesti vel discutiendum vel excutiendum suscipiat destinatos, (quem vero finem salutarem non semper ex voto obtinet): quamobrem nunquam plane rejiciendi, aut pro nihilo reputandi sunt.

§. IX.

Postquam igitur modum & processum singultus paucis delineavi, jam ad signa ejusdem explicanda in ordine devenio; ubi statim indico, quod huic affectui sæpenumero profunda & anxia inspiratio, cum sensu grauativo & pressorio, circa orificium ventriculi sinistrum, præcedere soleat. Excipit mox hanc exspiratio vehementior, septum transversum cum fortissimo nisu ad thoracem reprimente, & sonitu per os apertum erumpente. Sequitur deinceps naturalis inspiratio, cui etiam interdum, per momentum, exspiratio solita respondet; quæ intervalla pro diversitate subjectorum & morborum mox breviora mox longiora existunt. Sub ipso hoc motu concussorio, si diutius duravit, exserit sese sensus ulcerosus cum dolore lancinante. Quando demum cessavit, ægri de lassitudine & omnium virium consumtione conqueruntur.

§. X.

Quod subjecta attinet, quibus hic singultus in-

fenſus eſſe ſolet, tunc notamus idiopathicum hunc affectum iis utplurimum evenire, qui vel nimis avide cibos deglutiunt, videlicet bolis groſſioribus non debite maſticatis, aut carnibus durioribus fumigatis, item fructibus fugacibus auſteris veſcuntur; vel qui potum frigidum, poſt prægreſſam exæſtuationem, magnis hauſtibus ingurgitant, vel etiam dum largius ſudant, liberiori aëri ad refrigerandum ſe exponunt. Qui vero in acutis morbis hanc ſubitaneam Diaphragmatis concuſſionem comperiuntur, ſunt illi, qui inflammatione quadam interna laborant, ſit ea vel in hepate, ventriculo, liene, meſenterio, aut in inteſtinis. Speciatim vero obſervatur ille in hyſtericis fæminis, imo aliquando in puerperis febre acuta correptis, præcipue in primiparis.

§. XI.

Cauſæ pro diverſitate affectus & ſubjectorum mirum in modum ſunt diverſæ. Singultus communis vitium ventriculi & primarum viarum nude reſpicit: quando enim alimenta absque prævia ſufficienti maſticatione feſtinanter ingurgitantur, tunc non ſolum ſub ipſa deglutitione ſingultum provocant, ſed etiam cum in ventriculum jam detruſa ſunt, multas moleſtias inducunt. Sic v. g. non raro accidit ut in hominibus voracioribus, portio quædam cibi cujuscunque ſub tranſitu per œſophagum, circa orificium ventriculi reſtitet, hæc, dum ibidem diutius commoratur, ob gravativam ſuam preſſionem in hoc loco ſenſibiliori, facile ſingultum cauſatur: perinde evenit ſi cibi ad ventriculum jam delati, ibidem non

bene

bene subiguntur & digeruntur, quod ex hinc inductis cruditatibus ac flatulentiis ejusmodi irritatio procedat. Ita saburra biliosa in infantibus singultus causa est. Potus frigidus non bene defæcatus, nec non aëris subitanea mutatio, ex calore in frigus ac vicissim, & quidquid præterea alterationem quandam, sive illa consistat in nimia fibrarum expansione, sive in constrictione, sive denique stimulatione, ad ejusmodi motum producendum sufficiens est. Sic allegat casum, ubi frustulum quoddam panis incaute deglutitum, singultum excitavit FERDINANDUS *Hist. Med. Cons. 43.* Præterea & subinde medicamenta refrigerantia, emetica, drastica, stomachica calidiora, aliaque quæ generatim stimulant, rodunt, urunt, vellicant ad nostrum affectum ansam dederunt. Huc pertinent etiam omnia venena corrosiva, imo omnia peregrina in ventriculum delapsa e. g. vermes, serpentes, officula piscium & aciculæ ex improviso assumtæ.

§. XII.

Singultus symtomaticus morbum quemcunque primarium pro causa agnoscit. Ita accedit febribus acutis & malignis, in paraphrenitide, in inflammatione infimæ partis in hepate, pylori, mesenterii, uteri, intestinorum, in dysenteria, in cholera & causo, in colica. Observatur deinde in inflammationibus externis, in diarrhœa, in suppressione hæmorrhoidum nephriticorum, in retropulsione affectuum podagricorum. Porro post retrocessionem exanthematum in variolis, in morbillis, in febre purpurea.

Tandem comitari ſolet exceſſivas ſanguinis profuſiones, vulnerationes graviores, diſtorſiones, luxationes & fracturas coſtarum, nec non pectoris malam conformationem. Rationem hujus phœnomeni, cur nempe ſingultus tam multis morbis ſeſe aſſociet, varii variam tradiderunt. Alii per acrimoniam nervos ſtimulantem & vellicantem illud explicare contendunt, alii vero a ſpaſtica conſtrictione fibrarum & motu tonico auctiore id ipſum derivant. Priores quod attinet, neſcio qualem ſibi fingant acrimoniam in inflammatione partium internarum & externarum, in hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſione, ut & in exanthematum aut ſudoris critici retropulſione: & poſito ſed non conceſſo quod etiam ſub hac repentina alteratione, acrimonia quædam generaretur, ea ſane non tanti eſt, ut talem motum ſpaſmodico-convulſivum producere poſſit. Quamvis enim non omnem abſolute negem acrimoniam in corpore noſtro obviam, ei tamen ne minimam nervos vellicandi vim tribuo, exceptis ſolummodo emeticis draſticis, purgantibus fortioribus & venenis corroſivis, quippe quæ omnino ſtimulando & irritando vim ſuam exſerunt. Quod vero ad alteram ſpectat ſpeciem, qui ſingultum augmento motus tonici adſcribunt, eorum ſane ſententia mihi cum ratione maxime conſentanea videtur. Conſtrictione enim peripherica facta, ſanguis per leges motus ad interiora repellitur, vaſa ſanguifera inflantur, diſtenduntur, nervi comprimuntur, fibrarum muſcularium rigor introducitur & Diaphragma cum toto abdomine ſpaſtice contrahitur.

§. XIII.

§. XIII.

Expofitis indole, fignis, fubjectis & caufis fingultus, ordo tractationis ad prognofin me deducit, ubi generatim annotamus, fingultum vulgarem chronice occurrentem, non multum quidem periculi, verum tamen multum moleftiæ involvere: quanquam enim exempla dentur, in quibus fingultus fine morbo acuto lethalis fuit, ea tamen funt rariffima. Quodfi autem hic affectus fæpius recurrit, majorem confiderationem meretur, quippe læfionem quamcunque vifceris vitalis indicare videtur, præfertim fi a labore & fub motu quovis externo mox exacerbetur, id quod etiam vel ex gradu & vehementia, quo hic ab illo, qui per vices tantum homines corripit, differt, colligere licet. Non magni momenti eft fingultus ex ventriculi cruditatibus enatus. Qui vero morbis acutis fupervenit, præfertim verfus dies criticos, haud caret periculo; facile enim hi motus fpaftico-convulfivi in veras convulfiones, per univerfum corporis habitum tranfeunt, quibus ægri brevi tempore exfpirant: ad minimum anceps & valde dubium eft fignum. Sic fingultus in inflammationibus internis, lethalem & funeftum præfagit eventum. In febre ardente grave oftendit periculum, imprimis accedentibus deliriis. In morbis chronicis, fcirrhis, periculofis infarctibus, præfentibus aut imminentibus corruptionibus omnis fpes vitæ concidit. Quem poft fe trahunt exanthematum retroceffiones, hæmorrhoidum nephriticorum, podagræ & fudoris critici retropulfiones, periculo certiffimo non vacat.

Poſt largam cruoris vitalis jacturam & capitis vulnera inflicta, mortis imminentis triſtiſſimus eſt nuntius. Poſt vomitum largum & alvi fluxum, in diarrhœa mucida, bilioſa & cruenta, mali ominis eſt. In colica dirum & peſſimum ſymptoma. Qui denique coſtis fractis, diſtortis luxatisque accedit, imminentem inflammationem prædicit.

§. XIV.

Ad Therapiam nunc adeſſet tranſitus, ſed quia ſingultus communis, per vices irruens, nullam requirit; quippe qui vel ſola compreſſione abdominis facta ceſſat; vel ſeria meditatione abigitur; vel denique grato aut ingrato objecto cedit: alterum mihi reſervabo, donec de curatione ſingultus puerperarum, qui ad ſeriem ſymtomatici & acuti haud inique refertur, ſermo inſtituendus erit. Mitto itaque generaliorem hanc conſiderationem & ad ſpecialem illius ſingultus, qui puerperas aliqunado corripit, explanationem progredior. Tria heic momenta maxime notatu digna ſe offerunt, quibus neglectis res manet obſcura & intellectu difficilis. Primum comprehendit nexum uteri cum reliquis partibus & viſceribus abdominis; alterum oſtendit ejusdem conſenſum cum Diaphragmate per nervos; ultimum indicat communicationem vaſorum ſanguiferorum, in ſpecie Venæ Portæ cum utero. Singula in ſequentibus accurate & ad amuſſim conſectabimur.

§. XV.

Uterus eſt pars ſexus ſequioris muſculoſa cava, piri compreſſi figuram referens, in pelvi, quæ ab oſſibus

bus ilei & ſacro conſtituitur, ſub regione hypogaſtrica, medium inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum ſita, generationi inſerviens. Conſtat ex tribus membranis vario fibrarum plexu compoſitis, intertextis ſimul vaſis copioſiſſimis. Externa, quam communem dicunt, a peritonæo prognata, duplicem habet lamellam, hinc robuſta valida admodum & craſſa eſt. Media muſculoſa, in non gravidis compacta dura & firma, in gravidis ſpongioſa & mirifice dilatabilis exiſtit: quam ob cauſam ſub partu fœtus excluſionem maxime promovet. Interna cavum uteri cingens, nervea, ſenſibilis & poroſa eſt, in qua oſcula vaſorum terminantur. Poſterius inteſtino recto innititur & coaleſcit per pinguedinem, anterius cum vagina cohæret, veſicæ proxima. Ad latera quatuor ſuſpenditur ligamentis, e quibus duo lata, alæ veſpertilionum vocantur, & duplici conſtant lamella membranacea cum peritonæo continua, utrinque uterum pelvis parietibus jungentia; duo rotunda a parte ſuperiori uteri oriuntur, & poſtquam per annulos muſculorum abdominis tranſierunt, in pinguedine circa inguina deſinunt. Subſtantia horum ligamentorum eſt itidem membrana duplex vaſculis & fibris lacertoſis inſtructa, quæ vero non niſi in prægnantibus & gravidis in conſpectum veniunt. Magnitudo in virginibus minor, in gravidis diverſa deprehenditur. Dividitur in partem ſuperiorem & inferiorem: ſuperiorem, quæ latior eſt, fundum, inferiorem quæ anguſtior, cervicem nuncupant.

§. XVI.

Patet ex hac descriptione uteri, secundum ejus substantiam, formam, situm & nexum, quod omnis communio, quam cum reliquis contentis abdominis possidet, fiat vel per continuum, mediante peritonæo ope ligamentorum quibus ipsi adhæret, vel per contiguum, quatenus in confinio aliarum positus est, & cum illis commercium habet. Vi præcedentium (§. 2. & 4.) notum est, peritonæum junctum esse Diaphragmati & totum abdomen interius investire, imo pleraque viscera quasi in sacco excipere; quippe incipit a septo & per totum cavum ventris secundum longitudinem & latitudinem usque ad os pubis excurrit, ubi postquam margini s. cristæ ossium ilei accreverit & ad ischia se demiserit, circa os sacrum reflectitur & iterum adscendit, quo ipso fit ut postea saccum formet & intestina cum aliis sæpe nominatis partibus inter duplicaturam suam comprehendat: hinc luculenter apparet, quod commoto Diaphragmate, cunctæ connexæ & vicinæ etiam moveantur, necesse sit, unius enim partis in loco mutationem, sequitur reliquarum adhærentium motus.

§. XVII.

Jam consensum qui utero intercedit cum Diaphragmate per nervos illustrabo. Cardo hujus rei præcipue versatur circa ramificationes paris vagi, intercostalis & ossis sacri. Par vagum, quod a vagari, quia per totum corpus fere undique divagatur, nomen retulit, aliis etiam sextum vel octavum audit juxta BARTHOLINUM *in Anatomia reformata Libr. III.*

cap.

cap. II. pag. 460. infra nervum auditorium f. par ſeptimum e lateribus medullæ oblongatæ oritur variis fibris ſtatim unitis. Mox juxta ſinus laterales duræ matris egrediens, ſupra jugulum utrinque dividitur in duos truncos, quorum alter exterior, alter interior vocatur. Exterior in duos iterum diſpeſcitur, quorum dexter ſtatim in principio ſurculos emittit ad muſculos claviculæ & ſterno adfixos, deinde conſtituit NERVOS ita dictos RECURRENTES ſive vocales, & poſtquam ſub jugulo oblique deſcenderat, pulmonibus, pleuræ, pericardio & cordi propagines ſuas impertitur, inde per ſeptum ad Oeſophagum tranſiens, ſtomachico dextro formato cum ſiniſtro jungitur. Exterior ſiniſter eodem modo ut prior partibus proſpiciens, facto nervulo ſtomachico ſiniſtro, ad orificium ventriculi ſiniſtrum, perforato ſepto pergit, & illo cum compare amplexo, porro ad janitorem & hepatis cavum accedit. Interior ramus paris vagi duobus ſurculis gaudet, quorum dexter primo ad radices coſtarum, quolibet nervo intercoſtali ramulum largitur, deinde cum arteria magna per Diaphragma deſcendit, & per totum infimum ventrem mirifice diſcurrens, ad os usque ſacrum abit. In hac via iterum triplici modo diſtribuitur, mox enim ſurculo ad omentum contendit, mox ad renem dextrum alio, maximo denique ad meſenterium, inteſtina & veſicæ dextrum latus. Interior ſiniſter in ſuo latere perinde propagatur, niſi quod loco hepatis ad lienem pars abeat; ab utroque tandem interiore ramo in fœminis propagines ad uterum mittuntur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ad par intercoſtale provolvor, cujus principium & originem accurate detegere, tanto eſt difficilius, quo major in eo præſtantiſſimorum Anatomicorum eſt diſſenſus. Quia juxta radices coſtarum incedit & multis ramulis e ſpinali medulla dimiſſis, coaleſcit, inde nomen reportaſſe videtur. Nonnulli ramum paris vagi: alii contrarium ſtatuentes, utriusque nervorum paris, vagi nempe & intercoſtalis, ortum, truncum & divaricationes maxime diſtinctas eſſe volunt, non obſtantibus ſurculis, quibus identidem concreſcant: alii ramulo paris quinti & ſexti originem adſcribunt: alii demum his iterum contradicentes, hunc peculiarem eſſe nervum, ſurculos tantum quosdam a pare quinto & ſexto recipientem, omnimode defendunt. Quæ ex hiſce variis opinionibus veritati quam proxime reſpondeat, ego dijudicare nolo, mihi ſufficiet hujus paris curſum, quantus ad meum ſcopum conducit, qua fieri brevitate poteſt, monſtraviſſe. Nervi, par intercoſtale conſtituentes, cum per totum decurſus tractum, innumera fere ganglia efforment: ab Anatomicis pro loci & ſitus ratione in certas claſſes dividuntur, quarum alii cervicales, alii thoracicos, alii imi ventris plexus deſignant. Ganglion primum cervicale, magnitudine maximum, ſuperius ramulum dimittit ad os temporale & ipſius petroſam partem, deinde multos ſurculos diſpergit, qui ſecundum WINSLOVIUM paris ſexti & quinti ramificationibus junguntur, & tantum conſenſum præſtant, non vero principium & originem,

nem, juxta præclaros Anatomicos WILLISIUM, VIEUSSENIUM & HEISTERUM, constituunt. Inferius, multis surculis iterum pari vago annexis, per canalem carotidis internæ cranio exiens, multos ramulos laryngi, faucibus & musculis harum partium largitur. Exceptis deinde ramulis ubicunque e medulla spinali exortis & multis gangliis minoribus cervicalibus productis, juxta par octavum per collum descendit. Thoracem intrans truncus hujus nervi denuo intumescit, & in radice costæ primæ, primum dorsale ganglion format. Progredienti porro inter singulas dorsi vertebras ex medulla spinali alii sese adjungunt nervuli, qui quoties coalescunt, toties fiunt ganglia nova. Ubi ad medium fere thoracis pervenerit insignes quinque rami ex hoc pari gignuntur, qui multis gangliis formatis iterum uniuntur & Diaphragma, missis simul ad hoc aliquot surculis, perforant. Hinc denuo divaricatus, efformatis utrinque plexibus semilunaribus, ad dextrum & sinistrum decurrit. Dexter ramus deinde tam hepaticum quam renalem plexum dextrum constituit: postea cum circa internodia vertebrarum lumborum & ossis sacri, tumorem exiguum nactus est, in duos ramos exteriorem & interiorem dividitur; quorum exterior nervo dextro primi paris in osse sacro accrescit & cum illo in dextrum cruralem desinit; interior vero in plures fibras abit, ano & partibus adjacentibus prospicientes. Sinister paris intercostalis ramus, eadem ratione ac dexter, duos surculos progignit, exteriorem alium, alium interiorem: exterior sini-

ſtro nervo primi paris oſſis ſacri coaleſcit, & cum illo in ſiniſtrum nervum cruralem terminat; interior vero innumeras ablegat propagines ad ureteres, veſicam, inteſtinum rectum & in ſexu ſequiori ad uterum, quæ cunctæ deinceps in his locis evaneſcunt.

§. XIX.

Pergo ad nervos oſſis ſacri, quorum cum quinque utplurimum paria, aliis ſex numerentur, primum illud eſt, quod ob vicinitatem in mulieribus cum utero habet commercium. Superius ex hoc pari progerminant ramuſculi pari quarto & quinto nervorum lumbarium (quorum par primum utrinque ſurculum Diaphragmati largitur) ſe inſinuantes, cum quibus concurrente ſecundo, tertio & quarto pari oſſis ſacri nervum iſchiaticum ſive cruralem poſteriorem, totius corporis maximum, componunt: inferius excurrentes omnes, partibus in pelvi ſitis, inteſtino recto, veſicæ, utero, & muſculis circumjacentibus impenduntur; ubi etiam diſparent. Hac nervorum eximia connexione, mutua eorum inoſculatione, imo tot ramificationum, vario modo invicem contextarum, diſtributione rite perſpecta, nemo ſane mirabitur, qui fiat, ut, ſi in inferioribus partibus ſtatus morboſus obvius eſt, ille ſtatim aliis nobilioribus v. g. capiti, pulmonibus, ſepto transverſo, communicetur. Quemadmodum enim fieri ſolet, ut ii qui cruditates in ventriculo fovent, capitis doloribus perſæpe vexentur inſignibus, id quod conſenſui paris octavi & quinti nervorum potiſſimum debetur; ita etiam in aliis partibus contingere haud immeri-

merito concludimus: exemplo ſit ſingultus, qui puerperis aut hyſtericis familiaris eſt, ubi læſio quæcunque uteri ſuſpicatur, aut eandem actu præſto eſſe certis ſignis edocemur. Equidem mens mea non eſt, omnem conſenſum ex nervorum extremitatibus, & ab his contextis membranis deducere; nihilominus veriſimillimum mihi videtur & rationi conſentaneum, conſenſum qui eſt inter partes longe remotas & diſſitas, a motu fibrarum nervearum primario dependere. Dum enim una movetur fibra nervea, altera huic annexa in ſimilem motum concitatur. Quum præterea Anatomia doceat, quod diverſi nervi crebro plexus quosdam producant, aut modis quibusdam conjungantur: intelligitur quo pacto paſſio unius nervi cum altero, quocum coaluit, communicetur, ſicque tam longe lateque diffundatur, ut ne quidem ſatis excogitari poſſit. Inde commotus B. ETTMÜLLERUS *in ſuis Operib. Tom. II. p. 36.* egregie ponit: *Conſiſtit ergo conſenſus partium in connexione unius cum altera, quæ triplici imprimis ſolet fieri ratione, ita quidem omnis proprie dictus conſenſus fit ratione ſaltim nervorum. Conſentiunt nempe partes nerveæ triplici modo; primo quatenus fibræ nerveæ ſunt continuæ, qua ratione imminente vomitu tremit labium inferius; vel ſecundo quatenus ſunt contiguæ, quarum ratione calculus veſicæ ſubinde ſtimulum infert alvi & teneſmum excitat, quia collum veſicæ & inteſtinum rectum invicem incumbunt; ſic adfecto orificio ſtomachi ſequitur ſingultus. Tertio conſenſus partium fit ratione connexionis mediantibus funiculis nerveis, qua ratione conſentiunt renes, ureteres & inteſti-*

 na,

na, stomachus & caput. Qui ceterum nervorum subtiliorem disseminationem & mirificam concatenationem, accuratius perspicere cupit, evolvat WILLISIUM *de cerebro & nervis*, VIEUSSENIUM *in Neurographia figuris maximis & splendidis* illustrata, nec non BAGLIVIUM *in Specimine suo de fibra motrice*, qui per varia experimenta, in animalibus & brutis instituta, quanti sit vis consensus per nervos, explorare annisus est.

§. XX.

Restat ut demonstrem communicationem uteri, cum aliis partibus in imo ventre sitis, per vasa sanguifera, arteriosa æque ac venosa. Accipit vero uterus suas arterias partim a spermaticis, in viris ad testiculos, in fœminis recta ad ovaria, uterum, tubas Fallopianas & ligamenta lata descendentibus; partim ab hypogastricis ad latera & vaginam tendentibus ac per cavum ossium ilei dispersis; partim ab hæmorrhoidalibus externis, cunctis ab Aorta dimissis. Venæ triplicis generis ejusdem nominis, valvulis destitutæ, a vena cava prognatæ, fundum & collum uteri ubique perreptant, quæ etsi alias exiles, tempore tamen gestationis adeo turgent, ut emulgentium fere amplitudinem induant. Cum itaque Aorta est, communis ille canalis magnus pulsu præditus, per quem sanguis e corde ad omnes, imo extremas corporis nostri partes devehitur, inque illis ubivis diffunditur; per Venam Cavam vero tanquam vas magnum, pulsu destitutum hic sanguis quaquaversum e partibus resorbetur, & postquam in amplissimum suum

cana-

canalem collectum fuerat, ad cor revehitur: ita quoque colligimus uterum aliis partibus per vasa sanguifera correspondere & læsa una vel altera, reliquas adfici.

§. XXI.

Vena Portæ eandem habet cum utero correlationem, qua de causa non abs re erit, & eam heic describere. De nomine undenam nacta fuerit, nondum conveniunt autores, sed undecunque demum venerit, utique hæc denominatio hodie usu recepta est. Sita est in abdomine arboris inversæ faciem repræsentans, post venam cavam maxima, attamen quoad texturam non ita densa, sed laxior & mollior. Alii originem venæ umbilicali; alii innumeris surculis venarum ex intestinis exortis, & in unum truncum coëuntibus adscribunt; alii ex cava hepatis parte, Portam nempe illam derivant. Dividitur in truncum & divaricationes seu ramificationes diversas, quarum aliæ superiores alii inferiores sunt: illas vocant radices, qui ex hepate hanc venam oriri volunt, has vero, qui a venis mesaraicis eam produci putant. Superiores rami non solum per hepatis cavam partem sive sinum disperguntur, sed etiam innumeri surculi universum ejus latifundium subeunt. Truncus antequam dividitur, mittit duas venulas ad vesicam felleam, cysticæ gemellæ dictæ, unam ad ventriculi latus dextrum, gastrica dextra nuncupata, aliamque ad intestinum duodenum, inde duodena nominata. Postea inferius in duos ramos insignes dilatatur, quorum alter sinistrorsum ad lienem extensus, ramus splenicus;

cus; alter dextrorſum ad meſenterium abiens, Meſaraicus appellatur. Ramus dexter, antequam ad meſenterium defertur, producit duas venas, epiploicam dextram & gaſtro-epiploicam dextram; deinde totus meſenterium ingreditur, ibique in tres ramos inſignes, quos meſentericos vocant, diſtinctus, in innumeras venarum propagines anonymus diffunditur, quæ in inteſtinorum tunicis evaneſcunt. Ramus ſiniſter ſplenicus antequam ipſum ſplenem attingit, ſurſum venam gaſtricam minorem efficit, & majorem, ampliſſimam omnium ventriculi venarum, quæ ultima poſtea coronaria illius vaſa conſtituit; deorſum gignit tres ſurculos pro omento, ventriculo & pancreate, qui dicuntur Epiplois ſiniſtra, Gaſtro-epiplois ſiniſtra & Pancreatica; ubi proxime ad lienem acceſſit, format vaſa brevia & deinceps in ſplene totus abſumitur. Splenicus hic ramus, mox ubi a trunco receſſit, itidem inſignem & capacem propaginem generat, videlicet venam hæmorrhoidalem internam, quæ mox deorſum ad inteſtini recti inferiorem portionem, ſpithamæ circiter longitudine illud ambiens, imo aliquot ſurculis ad uterum diſtribuitur, affirmante B. STAHLIO *in Diſſert. Vena Portæ porta malorum*, quæ curante PRÆSIDE denuo typis exſcripta, *in Tractatu de Hæmorrhoidibus* legitur, ubi *Sect. I. p. m. 31.* Vena Portæ inquit: *ſita eſt in abdomine & quidem ſpecialiter diſſeminata, tum in partem ſimam hepatis, tum ad ventriculum, ſplenem, omentum, meſenterium, inteſtina, imo in fœminis aliquot ramulis ad cervicem uteri quoque diſtributa;* & *Sect. II. p. m.*

42.

42. *Antequam sectionem hanc finiamus, lubet adjicere communionem venæ portæ per ramos aliquot, præcipue de hæmorrhoidalibus cum cervice & vagina uteri. A quibus non injuria suspicio est, proficisci notabiles illos consensus, qui inter mensium & primarum viarum turbas, quasi reciproce fieri observantur.* Huic adstipulatur BARTHOLINUS *in Anatom. Reform. lib. I. cap. XXIII. p. 165.* hinc utero & lieni magnum consensum tribuens, & VERHEYEN *in Anatomia sua.*

§. XXII.

Triplici hoc nexu uteri cum aliis in abdomine contentis per ligamenta; cum Diaphragmate & Ventriculo per nervos; communicatione cum vasis sanguiferis, in specie cum Vena Portæ commonstrato, jam in ordine indagandum erit, quomodo hæc mira conspiratio invicem succedat. A priori autumo quod si in puerperis lochia sufflaminantur, aut in fœminis hystericis sanguis, quod per venulas uteri menstruatim funditur, retinetur, ex hac obstructione illico major fiat oppletio, distensio & infarctus illarum, quæ deinde vel redundantiam versus superiora, præsertim lieni aut hepati molestam, creat; vel dum diutius circa uterum subsistit, nec per commoda remedia, paucis diebus post, promovetur, in corruptionem abit, ad quam præcavendam inflammatio præcedere solet. In priori casu hæc redundantia sanguinis præcipue per venam hæmorrhoidalem internam ad hepar & lienem, etiam Diaphragmati & ventriculo infensam esse, magnamque in illius motum alterationem introducere potest, observante

ite-

iterum B. STAHLIO *in Diss.* supra allegata *Sect. I. p. m. 34.* dicens: *Simul præterire non decet, quod locus ille, quasi centrum Mesenterii, ubi ramorum horum ex ipsa Vena Portæ divaricationes quasi primo prognascuntur, quod inquam portio illa mesenterii, ipsis processibus Diaphragmatis, ubi in tendines abeunt, circa infimas vertebras Thoracis, sic satis tenaciter, per fibras cohæreat: unde quidem pathemata illa consensualia Diaphragmatis suffocativa, suspiriosa, anhela, turbis circa venam Portæ accedere solita, mechanicam suam oriendi rationem habere videntur.* Cum autem huic infarctui distensorio, redundantiam causanti, spasmodica symptomata maxime consequantur, annotante jam pridem WILLISIO, dehinc etiam, si paululum ultra modum augentur, singultum produci posse judico, vide sæpius nominatam *Differt. pag. 46.* Quodsi vero posterius eveniat & vel inflammatio oriatur, aut sanguis in actualem corruptionem ruat, tunc hæc adversa sensatio, per nervos, mox partibus superioribus, in specie Diaphragmati communicatur & motus singultuoso-concussorius semi-convulsivus excitatur, tanquam ultimum molimen, quo motus grave periculum imminens, avertere conantur. A posteriori quotidiana docet experientia, quod ira, terror, leve quoddam diætæ vitium, refrigeratio subitanea, menstruum in hystericis, aut lochiorum fluxum in puerperis sæpe sistant. Hoc facto non ita multo post sentiunt angustationes, pressiones, tensiones, stricturas, spasmos in imo ventre, difficultatem respirandi, cardialgiam, vomitum, suffocationes, quæ

omnia

omnia uti de ſpaſtica ſtrictura abunde ſatis teſtantur, ita etiam ſæpenumero ſingultum in conſortio ſecum trahunt. Quæ pathemata prorſus ceſſare obſervantur, menſibus aut lochiis in priſtinum ordinem redactis, luculento & evidenti ſigno, quod ſanguinis incarceratio, tam varia motuum ſpaſtico-convulſivorum ſchemata concitare poſſit. Confer de hac re PRÆSIDIS *Pathol. Sect. II. cap. VI. p. 156. ſeqq. & cap. XVIII.* ſic etiam ejus *Diſſert. de Hæmorrhoidibus medicina Hypochondriacorum Ao. 1716.* habitam, nec minus WILLISII tractat. tit. *Pathologiæ Cerebri* Specimen.

§. XXIII.

Sanguinem in Vena Portæ, vi mechanismi & ſtructuræ §. 21. exhibitæ, ob innumeras incurvationes impeditius circulare, facilius coacervari & ſpiſſeſcere poſſe novimus. Inſpiſſatus itaque opus habet propreſſione vegetiori, quæ peragitur modo inteſtinorum, modo meſenterii, modo ſplenis, imo ſtomachi, ſepti & præcordiorum variis preſſionibus, torſionibus, laxationibus & conſtrictionibus ſpaſmodicis, ex quibus naſcuntur variæ partium harum motitationes & ſanguinis ab una ad alteram ipſarum transpulſiones. Hi motus uti Hypochondriacis familiares eſſe, eosque valde exercere & excretionem hæmorrhoidalem in viris reſpicere, præclari Medici uno ore profitentur: ita multo magis, imo frequentius & contumacius iidem fœminis obtingunt, tum directe ob aliquam uteri cum ramis hæmorrhoidalibus conſpirationem, tum indirecte & mediate, quia generalis ad minimum conſuetudo

excretionis ſanguinis, ſtato tempore tam in puerperio, quam extra illud apud illas ſolennis eſt, bene monente B. STAHLIO *in Diſſ.* citata *Sect. III. p. m. 57.* & PRÆSIDE *in Pathol. Sect. II. cap. X. ſ. 10. p. 166.* his verbis: *paulo proximius cum motu menſium conveniunt, reſtrictiones ſanguinis ad loca hæmorrhoidalia, ad ventriculum & veſicam, ob harmoniam motus progreſſivi ſanguinis per vaſa uterina, Venam Portæ, hæmorrhoidalia & hypogaſtrica vaſa: ſi itaque contingit ut ex uterinis locis ſanguis non exprimatur, tunc motus hic congeſtorius mox in has partes applicatur, inde evenit ut ſi actualis eruptio ſupervenit, æque Vena Portæ, vaſa hæmorrhoidalia & hypogaſtrica leventur & ventilentur, ac ſi ſanguis ex locis uterinis effluxiſſet.* Quæ omnia collatione rite inſtituta & bene penſitata, adſertum meum, quo ſingultum puerperarum a conſenſu partium, in ſpecie ſepti transverſi cum utero, demonſtrare conatus ſum, ſatis evincunt, ejusque veritatem abunde teſtantur.

§. XXIV.

Puerperæ, quæ hunc ſingultum experiuntur, utplurimum ſunt fœminæ naturæ ſenſibilioris attamen vegetioris, temperamento ſanguineo-cholerico vel cholerico-ſanguineo præditæ, in vita ſedentaria cum lautiori diæta conſtitutæ, animi pathematibus valde obnoxiæ, quæ poſtquam ante matrimonium variis menſium turbis laboraverant, primum fœtum admodum difficile excluſerunt: qualem caſum Excellent. JUNCKERUS mihi communicavit, de primipara ætatis junioris, quæ aliquot momenta poſt partum, anguſtiam quandam præcordiorum

exper-

experta erat, cum anhela valde inſpiratione, quam extemplo ſingultus ſequebatur, cum ardore circa orificium ventriculi ſiniſtrum moleſto. Specialius vero omnes quæ violentum partum perpeſſæ ſunt, infante non naturali, ſed inverſo ſitu nato; item quæ gemellos pepererunt: qualis caſus mihi ipſi conſtat in puerpera, honeſtioris conditionis quadraginta annorum, quæ poſtquam geminos enixa erat, duobus circiter poſt partum horis inſigni & notabili ſingultu, per integram horam corripiebatur. Sic etiam in aliis nonnunquam puerperis, multa prole in lucem edita, pariendo quaſi adſuetis, ſingultus obſervatur, ita ut in quibusdam naturalem ferme propenſionem ad ſingultum adeſſe, propemodum liceat ſuſpicari.

§. XXV.

Cauſæ hujus ſingultus puerperarum ſunt, vel ipſe partus laborioſus & difficilis, vel lochiorum nimius fluxus, vel eorum imminutio, aut plenaria ſuppreſſio. Prioris ratio in ipſo partus proceſſu quærenda eſt; quando enim fœtus juſto tempore ad partum idoneo ſitu ſe accinxit, membranas & involucra ſua diſrupit, ut aquæ extra uterum profluant, tunc ſequuntur motus ad partum ſpaſtici, a lumbis ad inguinalem regionem tranſeuntes, ſub quibus ſuccedit vehemens dilatatio & extenſio orificii uteri interni cum vagina & partibus genitalibus externis, adeo ut infans penetrare poſſit, quo facto parturiens ſpiraculum tantiſper comprimere debet, donec infans totus, adjuvantibus obſtetricis manibus, matris corpus egrediatur; ſi itaque valida hac de preſſione toti-

us abdominis & renisu versus inferiora, peritonæum cum septo cui adnatum (§. 2. 4. & 16.) fortissime deorsum trahitur, emisso post partum spiraculo, vi motus tonici necessario ejusmodi spasmus reagens versus superiora contingit: (ut taceam quod sub hac temporaria respirationis intermissione, & in ipso Diaphragmate, ob circulum sanguinis retardatum, oriri possit aliqualis infarctus aut stasis, quæ illico est discutienda:) quo major enim est fibrarum dilatatio, extensio relaxatio, eo major vi structuræ sequitur earum constrictio. Præterea sensibilitas primipararum hosce motus multo fert ægrius, quam si multo partu induratæ, illis in consuetudinem venerunt: insuper etiam improvida & violenta, obstetricum quarundam placentæ uterinæ, nisi sponte sequitur, ab ejus substantia avulsio, multoties efficit ut motus hi spastici diutius quam par est insistant, qui dolores post partum continuantes, in convulsiones, nisi mitigentur, tandem degenerant, quarum fere semper prodromus est singultus. Altera causarum erat nimius lochiorum fluxus, qui insignem plethoram utique pro fundamento habet. Quemadmodum autem ejusmodi largior fluxus in puerperis sanguinolentis, si justo tempore sponte imminuitur cæteroquin salutaris est, tamen si contumacius insistit, ut exhauriri videantur ægræ, idem illud evenit, quod in aliis enormibus sanguinis profusionibus per vulnera graviora fieri solet, nempe ut singultus convulsivis agitationibus, ceu ultimis naturæ eluctatoriis conatibus ad vitam conservandam, antecedat. Hunc

sin-

ſingultum veteres ex inanitione denominarunt, innuente Illuſtr. & Excellent. HOFFMANNO *in Med. Rat. Syſtemat. Tom. IV. Part. II. Sect. II. cap. IV. §. 17. pag. 427.* ubi ait: *Ad acutos & ancipites eventus, ſingultus referendi quoque ſunt, qui ſecundum veteres inanitionem ſeu nimias humorum excretiones ſequuntur;* & paulo poſt: *eundem affectum poſt ſe trahunt cruoris vitalis nimiæ ac incoërcibiles effuſiones, vel naturales per uterum, nares, hæmoptyſin, vel per vulnera graviora concitatæ, ſicuti idem Hippocrates Sect. V. Aphor. 3 ſignificat.* Tertia eſt lochiorum imminutio vel ſuppreſſio, quæ aut ab abundantia ſanguinis cum ſpiſſitudine qualicunque juncta, aut ab orgaſtica ſive turgida ejus commotione dependet. Si ſanguis eſt ſpiſſiuſculus ægerrime per venas uteri exprimitur, hinc infarctus, ſtaſis, corruptio, ſphacelatio; ſi vero orgaſmus adeſt febris inflammatoria cooritur, in qua, cum directio & reſtrictio copioſioris ſanguinis bene adhuc fluidi, ad portionem illam motu privatam, obvia ſit, per conſequens vaſorum ſanguiferorum inſignis tumefactio, ſingultus per conſenſum nervorum prolicitur, quem veteres ex repletione derivarunt. Vide FOREST. *lib. XVIII. caſ. 12. p. 289.* Ad ſingultum puerperarum porro contribuunt omnia animi pathemata, præſertim iracundia & terror, quibus peripherica conſtrictio cauſatur & ſanguinis reſtagnatio ad interiora invitatur, deinde ſecundinarum, aut portionis ſaltim illius retentio, quæ ſi non quantocyus expelluntur, facile in putredinem, utero poſthac læſionem minitantem, dilabuntur.

 §. XXVI.

§. XXVI.

Ominosum esse singultum, qui inflammationibus internis supervenit (§. 13.) jam indicavi. Hinc non sine ratione suspicor, eum in febre inflammatoria puerperarum multo majorem periculum contestari; siquidem natura, quando per varios labores aut molimina, sanguinis lochialis vel retentionem (si nimis fluit), vel excretionem, (si imminutus vel suppressus est) aut staseos inde enatæ resolutionem diu tentavit, & sentit, quod voti compos fieri non possit, ipsa omnes motus prorsus omittit & imminente corruptione, totalem machinæ humanæ destructionem & mortem inferente, succumbit. Ipse HIPPOCRATES *Aphor. VII. 10.* edixit: *Singultum, convulsionem aut delirium, ilei inflammationi supervenientem, mortem prædicere:* id quod si verum est, uti nullus dubitabit, eodem jure de singultu, uteri inflammationi accedente, idem illud vaticinari possumus; quemadmodum Celeb. JUNCKERUS *in Conspect. Semiolog. Tab. VI. no. 31. p. 370.* ex Hippocrate id inculcare videtur: *Singultus in febribus semper suspecti habentur, quia vel hepatis, vel ventriculi, vel uteri inflammationes arguunt.* Interim hæc non ita intelligi volo, ac si in singultu puerperarum, Medicus semper absolutam lethalitatem pronunciare debeat, sed tantum ut vigilet, causas diligenter scrutetur, successum & vigorem sedulo observet, & nisi post tres, vel quatuor, aut ultra, horas, in tantum remittat, aut medicamentis ad eundem sopiendum propinatis auscultet in totum, periculum metuendum adstantibus conditionate, & cum restrictione

qua-

quadam adhibita, indicet. Nam crebra obſervatio Medicos practicos docuit, quod in acutis non raro peſſima quæque ſigna occurrant, & æger tamen reſtituatur: contra in aliis omnia placide & tranquille adminiſtrentur, æger bene ſe habeat, & tamen mors ſcenam claudat, non ſine omnium conſternatione. Hinc clandeſtina malignitas ſemper bene attendenda & reſpicienda eſt, ac prognoſis provide inſtituenda.

§. XXVII.

Recenſitis origine, cauſis & prognoſi ſingultus puerperarum, jam ad ejus curam inveſtigandam me convertere deberem, quum autem ſupra (§.14.) nullam de Therapia ſingultus feci mentionem, ſed eandem usque eo prætermiſi, placet pauca, quæ ad curationem ſingultus generatim ſpectant, prælibare, antequam in ſpecie de profligando puerperarum ſingultu agam. Quando igitur ſingultus communis, ſi ſemel incepit, diu durat, & quod ſubinde contingit, ad unam vel alteram ſeptimanam ſe extendit, conſequenter chronicus evadere videtur, ſimulque cruditates & ſordes primarum viarum ſuſpectas reddit, tunc triplex indicatio formanda eſt. Alia materiam pernicioſam præparat, alia præparatam evacuat, alia roborat. Materiam præparantia ſunt ſalia media amarulenta e. g. tartarus vitriolatus, ſal mirabile Glauberi, Arcanum duplic. &c. quo etiam referri meretur Liquor terræ foliatæ tartari, nec non alcalina ſal Card. bened. Abſinth. Cent. min. Liquor nitri fixi ſ. Alkaheſt Glauberi; porro Elixiria ex radicibus & herbis reſolventibus incidentibus & balſamicis confecta, qua-

lia

lia ſunt: Radix Pimp. alb. Ari, Angelicæ, Caryophyllor. Calam. aromat. Vincetoxici, Hba Cent. min. Card. Ben. Meliſſ. Hyſſopi, Scordii, quæ omnia egregii ſunt uſus. Si aliquid bilioſi aut acris adeſt his interponantur abſorbentia, cum antimoniato fixo & nitro maritata, quo nomine veniunt Conch. præp. vel citrat. Ocul. cancror. præp. Corall. rubr. & alb. præp. Matr. Perlar. Chryſtallus montana, C. C. uſtum, ubi quidem pulvis abſorbens Fr. Hoffmanni & B. Wedelii facile ſunt inſtar omnium. Huc etiam pertinent diluentia & potus quicunque calidi Thée, Coffée, decocta avenacea, hordeacea, omniaque mucilaginoſa, quæ viſciditates extenuant, abſtergunt, & acrimoniam obtundunt. Facta ſic præparatione & correctione materiæ noxiæ, ea eſt evacuanda. Huic indicationi ſatisfaciunt infuſa laxantia, mannata, helleborata, rhabarbarina, quorum ultimum cum virtute laxante ſimul vim tonicam & roborantem poſſidet, ideoque præ reliquis commendandum: hujus cenſus porro ſunt ſalia cathartica amara, imo reſina Jalappæ, Scammonium cum Oleo Amygdalar. dulcium contritum, quæ vel ſub forma pulveris a gran. VI-XII-XV, vel Pilularum, vel Eſſentiæ propinari poſſunt. Ita infuſum ejusmodi etiam præparatur ex foliis Sennæ ſine caulibus, Rhabarbaro electo, fibris Hellebori nigri & Tartaro ſolubili, addito quodam carminativo ad flatus diſcutiendos. Nec pilulæ Becheri aut Stahlii laxantes, catarrhales, aliæque quæ in pharmacopoliis proſtant, ſilentio prætermittendæ ſunt. Evacuatis tandem ſordibus tonus ventriculi roborandus

dus

dus est, id quod obtinetur per Essentias stomachicas v. g. Absinthii, Cent. min. Cort. Aurant. Galangæ, Gentian. rubr. Cort. Citri, Macis, aut per infusum ex Rad. Galang. Zedoar. Zinziberis, Hb. Card. Bened. Melissæ, Origani, Menthæ crispæ; nec minoris sunt præstantiæ Extract. & Essent. Cascarillæ, Mixtura tonico-nervina Stahlii; item martialia selectiora, Tinctura martis Ludovici, pulvis stomachicus Birckmanni s. Quercetani. Externe usu veniunt sacculi aromatici calidi, ex radicibus odoratis. Angelicæ, Acori, Enulæ, Zedoariæ, Galangæ, herbis coronariis: Absinthii, Menthæ crispæ, Melissæ, Pulegii, Rutæ, Thymi, floribus Rosarum rubrarum, Spicæ, seminibus carminativis Anethi, Carvi, Anisi, cum pauxillo camphoræ remixti, aut cum Sp. V. camphorato madefacti: item balsama stomachica ex Oleo N. M. destillato vel expresso, Menthæ, Rutæ, Anethi, Absinthii & Balsamo Peruviano composita; nec non Cataplasmata, ad singultum Michaëlis & Mynsichti; Emplastra de crusta panis, de Tacamahaca, Carminativum Sylvii, quibus omnibus balsamus vitæ Hoffmannianus anteferendus est. Biliosa infantum colluvies, in ipsis singultus causa, per Conchas præp. cum Antimon. Diaphoret. absorbenda, Syrupo de Cichor. cum Rhabarbaro commode educitur.

§. XXVIII.

Quandocunque singultus natales sunt, subitaneæ sudoris suppressiones, per refrigerationem, omnis cura circa transpirationis negotium versetur, ne-

ceſſe eſt. Hoc egregie promovent præter regimen calidum, decocta calida largiter aſſumta, infuſa Theiformia ex Radicibus aperientibus & diaphoreticis, Angelicæ, Cichorei, Imperatoriæ, Pimp. albæ, Saſſaparillæ, Scorzoneræ, Valerian. Vincetoxici, & Herbis Agrimoniæ, Fumariæ, Salviæ, Scabioſæ, Valer. Vincetox. Floribus Bellidis min. Salviæ, Sambuci. Si hæc minus placent aquæ diapnoicæ, videlicet aqua Chærefol. Card. Bened. Card. Mariæ, Scabioſæ, Scordii, Florum Sambuci, Ceraſorum nigrorum, Galegæ, cum nitro & Antimon. diaphoret. in uſum vocantur. Non contemnendi præterea ſunt pulveres bezoardici ex Conchis præp. vel citratis cum nitro & Antim. diaphoret. aut antiſpaſtici ex Tartaro vitriol. nitro depurat. & cinnab. aut denique in eundem finem Eſſentia Alexipharmaca cum ſpiritu nitri dulci anatice combinata. Quodſi inſuper ſegnities alvi adeſſet, clyſmate leniente ſolvatur. Quando medicamenta refrigerantia ſingultum excitarunt per temperantia & diapnoica ſuccurrendum eſt. Detur e. g. pulvis quidam ex tartaro vitriolato nitro depurat. Conch. præparat. vel citrat. & Antimon. diaphoret. cum decocto hordeaceo aut potu quocunque calido Theiformi, donec lenis tranſpiratio ſuccedat. Qui per emetica draſtica, purgantia acriora, & venena accepta producitur, requirit pinguia, oleoſa, mucilaginoſa: oleum olivarum, amygdalarum dulcium, lac aut cremorem ipſius, juſcula pinguia ex templo larga doſi adhibita, antequam inflammatio ſuboriatur: & quando in caſu venenoſo maximum periculum

culum ſic ſublatum eſt, reliquiæ miaſmatis venenoſi, præſertim ſi per contagium hauſtum fuerit, per Alexipharmaca temperata cum regimine diapnoico, plenarie exſtirpari poſſunt. Si ſerpentes (qui caſus rarior) aut vermes in ventriculo habitantes, hujus affectus fabri exiſtunt, tunc enecandi ſunt & eliminandi. Prius fit per anthelmintica ſpecifice amara, v. g. Radicem Ariſtolochiæ rotundæ, quæ amaritie nullis facile ſimplicibus cedit, Filicis, Graminis, Gentianæ utriusque, Trifolii fibrini, Zedoariæ; Herbam Abſinthii, Abrotani, Alliar. Cent. min. Card. Ben. Fumariæ; Semen Santonici, Tanaceti, Muſcum corallinum; in ſpecie vero per Mercurium dulcem: poſterius nulla re melius, quam per Pilulas Becheri & Stahlii, quarum §. præcedenti commemoratio facta, vel in infantibus per morſulos laxantes, ex ſemine Santon. mercurio dulci, reſina Jalappæ & ſaccharo roſato compoſitos, peragitur. Si vero oſſicula piſcium aut aciculæ, aliaque quæ cuſpide ſua nocent, per incuriam devorata ſunt, conveniunt modicus vini hauſtus, acida vegetabilia, Syrupus acetoſitatis citri, rubi idæi, berberum &c. os vel metallum leniſſime arrodentia, cum decocto avenaceo paſſulato aut prunato, ad ramenta metalli involvenda & blande excernenda.

§. XXIX.

Curatio ſingultus, febribus acutis ſupervenientis, non niſi æquali diaphoreſeos promotione abſolvitur, id quod diverſimode fieri ſolet, pro circumſtantiarum ratione in morbo primario habenda. Sic in omni inflammatione nobiliorum viſcerum, auxi-

lium unice in staseos inflammatoriæ discussione consistit, quæ si recens fuerit venæsectione, qua sanguinis nimia copia subtrahitur, oppugnanda est; interne conveniunt diaphoretica mitiora, pulveres nitroso-temperantes cum Antimonio diaphoretico, magisterio dentis apri, & sale digestivo mixti. Porro Potiones diapnoicæ ex aquis: Scordii, Cardui Mariæ, Galegæ, Plantaginis, cum Syrupo acetositatis Citri, Rubi idæi aut Saccharo perlato q. s. ad gratiam edulcoratæ; deinde emulsiones ex amygdalis dulcibus excorticatis, pineis, semine Cardui Mariæ, cum aqua Cerasor. nigrorum, Cinnamomi sine vino, Scorzoneræ, Florum Sambuci Fl. Tiliæ præparatæ; tandem decocta ex speciebus diaphoretico-diureticis & resolventibus composita e. g. Rd. Scorzoner. Pimpinell. albæ, Imperat. Vincetoxici Hb. Galegæ, Scordii, Scabiosæ, quæ etiam pro potu ordinario usurpari possunt. Interdum etiam si ventriculus perferre potest, prosunt: Essentia Alexiph. Mixtura simplex & spiritus aciduli cum Essentia Bezoardica, quo nomine Spirit. Nitri dulcis non excludendus est. Sufficiens denique potus, attamen tepidus, in his morbis semper porrigendus, cum succo citri, aut clysso Antimonii, vel pauxillo nitri acidulus factus. Sedandi scopo, in dolorum ferocia, cortex cascarillæ aut Massæ Pilul. de Cynoglossa granum unum vel alterum inserviunt. Externe sacculi carminativi discutientes imponi possunt, in quem finem laudantur Radix helenii, iridis Florentinæ, Levistici, Zedoariæ; Herbæ Hyssopi, Melissæ, Salviæ, Thymi, Spicæ, La-

ven-

vendulæ, chamomillæ vulgaris & romanæ. Contra vero omnia ſtomachica calida, acria, volatilia & opiata, purgantia & emetica maxime fugiantur. In cholera & cauſo materia acris-cauſtica corrigatur temperantibus nitroſis, & proxime illata arroſio mitigetur, quod quidem licet naturæ potiſſimum conveniat, quantum in artis eſt poteſtate, tentandum per emulſiva, gelatinoſa &c. In colica ſpaſmus inteſtinorum demulcendus eſt per enemata emollientia, lenia laxantia, & carminativa externe in ſacculo abdomini impoſita, quo flatus diſcutiantur. Diarrhœæ & dyſenteriæ ſi ſuppreſſæ, leniſſime revocandæ ſunt vel per clyſteres, vel per lene laxans; relaxata ſic alvo, materia reliqua corrumpens corrigenda per Eſſentiam Alexipharmacam aut Cort. Caſcarill. in pulvere aſſumtum. In inflammationibus externis, iterum confert temperantium & alexipharmacorum uſus internus, externe vero ſacculorum ex ſpeciebus paregoricis, diſcutientibus & nervinis vino calido imbutorum. Non minus in hæmorrhoidum, podagræ & exanthematum retroceſſione, temperantia & diapnoica cum regimine moderato valde commendantur. In efferis hæmorrhagiis, interne ipſis inanitionibus obex ponatur moderantibus & tonicis, imo in caſu neceſſitatis leniſſimis adſtringentibus, (quibus tamen illico ſubjungantur decocta, ad ſanguinem congrumatum diluendum,) externe per commodam vulneris deligationem ſi ex cauſa violenta provenerint: poſtea ſanguinis jactura per alimenta euchyla, bene nutrientia reſarciatur. In diſtorſionibus, luxationibus, fra-

cturis costarum, aut malam pectoris conformationem, repositio & consolidatio, ex Chirurgico quidem petenda foro, totam rem exhauriunt; remota enim causa, removetur effectus.

§. XXX.

Ut vero ad singultum puerperarum demum revertar, triplex causarum respectus in ejus curatione attendendus erit: quo magis enim puerperarum morbi alios dignitate antecedunt, eo circumspectiorem tractationem merentur. Si itaque a partu laborioso ortus fuerit singultus, quamprimum peperit fœmina, in lectum bene calidum deferatur & abdomen latiore mantili ligetur, deinde ad dolores post partum demulcendos Tinct. Cort. Aurant. recentium cum syrupo Cort. Aurant. & Citri mixta, in aqua Melissæ exhibeatur. Post duas horas propinetur pulvis nitroso-temperans cinnabaratus, cum jusculo e cerevisia defæcata, aut decocto tepido ex hordeo decorticato cum passulis corinthiacis: postea ab omni frigore defendatur & quies animi & corporis ipsi concedatur. Versus noctem detur dosis Pilul. Becheri vel Stahlii, quo lochia moderate promoveantur, ubique vero servetur moderatum regimen, quo diapnoë modice succedat, & sic continuetur quotidie cum pulvere & Pilulis, donec nulla amplius febris metuenda sit. Quando fluxus lochiorum nimius singultum provocat, itidem pulveres nitroso-temperantes conveniunt, sed appositis mitioribus cohibentibus & lenioribus anodynis ut. coralliatis, speciebus de Hyacintho, Croc. martis antimonii teneriori, Tinctura

vitri-

vitrioli martis Ludov. M. P. de Cynoglossa, ubi quoque millefolium in infuso Theiformi solet laudari. Præterea Alexipharmaca temperata heic locum habent; nec minori cum fructu gelatinæ e rasura C. C. Ebore cum Citro, oleo amygdal. dulcium cum ovo recente & momento cinnamomi adhibentur. Ubi lochia imminuta fuerint & singultus accedit, ibi natura officii blande admonenda erit, vel per pilulas Balsamicas Stahlii genuinas in aqua fœniculi solutas, cum pulveribus antispasmodicis, junctis semper diluentibus & infusis; vel per Pilulas Becheri & Essent. Alexiph. temperatam cum pauca portione Essent. Melissæ combinatam. Quando autem lochia in totum suppressa sunt, vix unquam concedit, circumspectio experimentis comprobata, ea directe revocare, idque eo minus, quo diutius hæc suppressio jam duravit. Convenit potius ad causas ejusdem respicere, præcipue vero orgasmum sanguinis & æstum febrilem per pulveres febriles, ex sale medio, nitro Antim. diaphoret. & conch. præparatis aut citrat. contemperare, & per potiones diapnoicas ex aquis destillatis: Plantag. Card. Ben. Fl. Sambuc. Scabios. Ulmar. modicum provocare sudorem, eumque per decocta & infusa, quibus spissa qualitas sanguinis una tollitur, continuare. In Plethoricis per V. S. in pede, sanguinis copia imminuenda, & alvus libera semper conservanda est. Quodsi omnino huic suppressioni febris acuta inflammatoria supervenerit cum notabili singultu, ea, ut aliæ inflammationes nobiliorum viscerum, de quibus §. præcedenti sermo fuit, est tractanda. Nec diu com-

commorandum, si secundinarum retentio suspecta, sed illico per hepar anguillæ expellendæ: sic etiam in terrore & iracundia, congruis absorbentibus & corrigentibus, bilis acrioris damna mox avertenda sunt.

§. XXXI.

Et hæc sunt potiora, quæ circa singultum puerperarum observanda & annotanda veniunt. Utut enim & aliis puerperarum affectibus ille accedere queat, de cujus vel cura vel præservatione aliquid dicendum fuisset; hæc tamen ita comparata sunt, ut nihil vel parum difficultatis ostendant. Accedit quod limites speciminis Academici, tam diffuse pertractare omnia, minime permittant. Quapropter summo Numini pro clementer concessis, in hoc labore viribus, gratias ago humillimas, nihilque magis in votis habeo, quam ut hæc & alia quæ conabor, in nominis sui Celsissimi gloriam & proximi veram salutem vergere sinat ipse, qui est omnium rerum autor, initium &

FINIS.



Sonnet.

Sonnet.

DEr Fleiß wird doch gekrönt, und der insonderheit,
Der unsre Lehr-Begier bey Buch und Kiel bezeu-
get,
Und unser Ohr aufs Wort gelehrter Männer nei-
get.
Wer seine Kraft einmahl den Wissenschaften weiht,
Der Klugheit Leitung folgt und denn mit Emsigkeit
Und einen festen Trit auf iene Höhen steiget,
Woselbst die Weisheit uns die Kräntz' ums Haupt-Haar
beuget,
Der wird gewiß mit Glück und Ehr und Lust erfreut.
Seht unsern HERTOG an, wie den sein Fleiß erhebet!
Du hast Dich, Werther Freund, von Jugend auf bestre-
bet,
Ein recht geschicktes Theil der besten Welt zu seyn.
Jetzt erntet Dein Bemühn die schönsten Früchte ein.
Geniesse sie vergnügt, geniesse sie fein lange,
Damit die Welt von Dir viel Nutz und Heil empfange.

Hiemit wolte dem Hoch-Edlen und Hochgelahr-
ten Herrn *Doctorando* seine gehorsamste Auf-
wartung machen

Enno Friederich Kempe,
aus Ost-Frießland der Gottes-Gelahrheit Beflissener.

WAs ist der Grund der stillen Lust, die man an allen
Freunden siehet?
Was ist es das ihr treues Hertz so starck und reitzend
an sich ziehet?
Warum ist wer die Tugend ehret, so emsig, munter und bereit?
Was blitzt aus unsrer Musen-Augen für wohl gesetzte Freund-
lichkeit?

Warum wird ein so froh' Gerausch bald hier, bald da, bald
dort verspüret?
Für wen gehört der Lorbeer-Crantz, den Phöbus in den Händen
führet?
Nur still! Er ruft: was darf man fragen! Mein Hertzog, mein gelehrter Sohn,
Trägt für Sein rühmliches Bemühen, den längst verdienten
Lohn davon.

Diese wenige Zeilen setzte zum Zeichen seiner aufrichtigsten Ergebenheit mit bey, des Herrn *Doctoranden* gehorsam-verbundenster Diener,

Johann Friedrich Junius,
Greiza-Varisc.

EXigit officium, specimen conscribere amoris
Solemni hocce die, suauis AMICE TIBI.
Fertilis ast verbis hic Virgilius sit, oportet.
Qui TE promerita tangere laude cupit.
Frugibus infelix merito mea Musa veretur.
Ne, cum TE laudat, detrahat ipsa TIBI.
Siue TVOS specto *mores*, sunt lumina magna,
Omnibus exempla non imitabile eris.
Siue TVAM intuear doctrinam, & in arte salubri
Vires TV maior redderis vsque mihi.
Felix, quæ talem genuisti patria, prolem!
Felix TV quoque, quem munera magna manent!

Hisce PRÆNOBILISSIMO DOMINO DOCTORANDO, Amico per plures annos integerrimo, felicem studiorum decursum gratulari voluit

Enno Rudolph Muller, Med. Cult.

Gesaltz-

Gesaltzne Thränen haltet ein!
Der Abschied ist genug beweinet:
Heut will und muß ich frölich seyn,
Weil Hertzogs Glücks-Stern heiter scheinet.
Ja Theurer Freund! den Witz und Geist,
Und Tugend, und was edel heist,
Weit mehr als alle Tittel zieren;
Hygäa schmückt Dein würdig Haupt,
Drum ist mir Wunsch und Trieb erlaubt,
Drum soll diß Blat Dir gratuliren.

Schau her! hier ist die Danckbarkeit
Für alle seltne Freundschafts-Proben
Für Deine Treu, die jederzeit
Dein wahres Lob noch mehr erhoben.
Diß alles raubt der trübe Tag,
An den ich nicht gedencken mag,
Weil er mir alle Freude wehret;
Doch wohl! er raube mir die Lust
Dein Bildniß ruht in meiner Brust,
Der Liebe Band bleibt unversehret.

Ich schweige still, denn diß Pappier
Kan mein Verlangen doch nicht fassen:
Zeug hin! der Höchste geht mit Dir,
Sein Seegen wird Dich nie verlassen,
Die Vorsicht winckt, die Weißheit spricht:
Komm ächter Sohn! es soll Dir nicht
An Glück und Ruhm und Wachsthum fehlen.
Der Krancke hörts und sehnet sich,
Und seufftzt: mein Hertzog säh ich Dich!
Komm Komm! ich will die Stunden zehlen.

Durch gegenwärtige Zeilen wolte dem Herrn *Doctorando* seine verbindlichste Ergebenheit bezeugen

W. F. J. Walter,
Med. Cult. Oppon.

Hier muß selbst Podalir, Dir einen Lorbeer winden
Den er Dir nach Verdienst schon längst geweyhet hat.
Darff ich denn Werthester mich auch mit ihm verbinden?
Find denn mein schlechter Kiel mit seinen Wünschen statt?
So werde ich demnach Dir einen Altar setzen
Und meiner Pflicht gemäß mich auf die Würde freun
Womit Hygäa sucht Dich Werther! zu ergötzen.
Ich will mit andern auch Dir meine Blumen streun.
So lebe dann vergnügt, der Himmel lasse Seegen
Bey Deiner Heilungs-Kunst auf allen Seiten ruhn.
Er cröne Dich mit Wohl auf allen Deinen Wegen,
So ist Dein Stand beglückt; so weiset Dir Dein Thun
Wie Du kanst recht vergnügt in späte Jahre leben,
Doch bitte dann darbey, wenn Deine Liebe kan
Mir Deinem treuen Freund auch eine Gunst vergeben
So setz ich mich hiemit Dir sehr verbindlich an.

C. A. Adelung,
Sil. Wrat. Med. Cult.

